

II. Encomium ipsum continet (1) professionem amoris: *diligo te*, v. 2. (2) Rationes recensentur longo ordine, tum speciales, tum generales. (a) quia est Davidis *robur*: v. 2. (b) *petra*, *asylum*, *ereptor*, *Deus*, *petra*, in qua *secure* confidit, *clypeus*, *cornu salutare*, *exaltator* seu *promotor*. v. 3. (c) quia se invocantem *salvavit*: v. 4. Hæc ipsa pericula commemorantur porro, & veluti *oculariter* pinguntur mentione (a) *funium lethaliter involventium*, (b) *torrentum infernaliter terrentium*, v. 5. (γ) *vinculorum inferni retiumque exitialiter ambientium*, v. 6. (δ) *anxietatis*, v. 7. Invocationem suam exponit denuò verbis *clamandi*, *vociferandi*, &c. v. 7. Exauditionem vero: *audivit de palatio suo*; *ante faciem ejus venit mea supplicatio*: v. 7. Exauditionis consequens, *Liberatio*, describitur v. 8. *seqq.* per *terræ commotionem præ ira divina*, v. 8. per *inflammationem* v. 9. per *cæli*, dum *Deus descenderet veluti*, *commotionem*, v. 10. per *turbinum caliginisque adhibitionem*, v. 11. 12. per *imbrium effusionem*, v. 12. per *nubium dissipationem*, *fulguris grandinisque præcipitationem*, v. 13. 14. per *tonitrua*, v. 14. quibus *hostes prostrati propulsique*, v. 15. per orbis quoad *aquam atque terram commotionem*, v. 16. per gloriosam Davidis *liberationem*, *manu velut cælitus protensa*, *ex undis mediisque hostium turbis cum protrahente*, v. 17. 18. *fulciete*, v. 19. in *latitudinem* seu *libertatem restituyente*, v. 20. adeoque *dilectionem sui*

A *oculariter demonstrante*; *ibid.* Davidis autem *innocentiam* probante, v. 21. Hæc ipsa porro *innocentia*, contra *objectam hypocrisin & clancularias machinationes*, describitur *viarum divinarum observantiâ* &c. v. 22. 23. 24. unde elicitur denuò *divina retributio* v. 25. & quidem ex consueto Dei processu, qui *cum piis pius* &c. v. 26. 27. 28. Atque sic demum redit David ad *Liberationem* sibi *cælitus præstitam*, per *splendidam illuminationem*; v. 29. nec non *roboris* aut *animositatis autionem*; v. 30. (Generatim rursus hæc *roborantur* ex Dei *justitiâ*, *veracitate*, *fidclium benignâ defensione*; v. 31. *majestatis supremæ ac unius verè divinæ ostensione*, v. 32. Pertinet ad eandem hanc *liberationem specialem* porro *fortitudinis collatio*, v. 33. *viarum* seu *actionum secundatio*, *ibid.* *pedum directio*, v. 34. *manuum brachiorumque instructio*, v. 35. *divina protectio* nec non *glorificatio* v. 36. *gressuum contra titubationes præmunitio*; v. 37. *hostium subjugatio*, v. 38. 39. 40. 41. 42. 43. Davidis *ejectio*; v. 44. 45. 46.

III. Epilogus constat Dei *celebratione*: *vivat! benedictus sit! exaltetur!* v. 47. Rationes repetuntur; quia est *petra salutifera*; *ibid.* quia Davidis est *vindex*; v. 48. *subjicit eidem populos*, *ibid.* *eripit & exaltat eum*: v. 49. Denuò repetitur *celebratio*, v. 50. *una cum ratione*, *quia est asylum* Davidis *ejusdemque seminis*: v. 51.

## PSALMUS XVIII.

### EXPLICATIO VERSUS I.

למנצח *Præcentori seu præfecto musico*: scilicet traditus est hic Psalmus à Davide, ad eum publice in congregationibus sanctis decantandum: vide *Psal. IV, 1.* Est enim in titulis ellipticum loquendi genus receptissimum.

לעבד *servi Dei*: scilicet est Psalmus hic, tanquam autoris. Sic enim completè habetur *Psal. IV, 1.* מוזר לדוד *Psalmus Davidis*; (ל) ergo est nota genitivi, autorem h. l. designans. Propriè autem לעבד notat *servum* vilioris conditionis, cui opponitur משרת *minister*, quales sunt aulici vel operarii in sacris Dei cultibus constituti. David itaque talem se *servum Dei* nuncupat, ad indicandam humilem animi subjectionem, arctissimamque ad *servitia* quæque obligationem, sive illa spectent ad generale renatorum officium, sive ad officium regie gubernationis, divinitus Davidi commissum, sive ad propheticum circa gloriæ divinæ propagationem munus, &c. item ad innuendam suam fiduciam, quod instar *servi* omnem sui defensionem transcribat Domino, & quod ab eo solo opem petat; *Kimchi.* Est autem *servus* voluntarius, non coactus aut inscius, ut *Nebucadn. Jer. xxv, 9.*

לדוד *Davidis*: est hic appositio, (*servi Dei Davidis*) h. e. Psalmus Davidis, qui est *servus Dei.*

אשר *qui*: scilicet David.

דבר *locutus est*: vel *recitavit*: (verbum hoc habet (ו) loco *Isere p. 48. v. 3.*) comprehenditur hic non solum carminis privata descriptio, verum etiam ejusdem publica ac solennis promulgatio, in conventibus sacris repetitio, piisque aliisque facta communicatio.

ליהוה *Domino*: h. e. in honorem Domini.

דבר *verba canticum hujus*: h. e. hoc ipsum canticum, talibus conceptum verbis. Nomen hoc quodammodo videtur *πλεονάζειν*, sicut *Job. xli, 3.* דבר *virium ejus*, idem ac, *vires ejus*: *Psal. xxxv, 20.* דברי *fraudum &c.* item *Psal. lxxv, 4. cv, 27. Psal. cxlv, 4.*

דשירה *canticum hujus*: puta sollemnis, peculiari afflatu spiritusque devotione concinnati de mirandis planè beneficiis divinis.

ביום *in die*: h. e. tempore, non enim præcisè unò die David ab omnibus liberatus fuit hostibus. Talis verò *synecdoche Diei* pro tempore *Genes. VIII, 22. Psal. CII, 12. Psal. CIII, 15. &c.* Regno itaque jam pacatò, vel sub finem ferme ejus, Psalmus hic conscriptus merito censetur. Regem enim jamjam fuisse Davidem, patet infra ex *vers. 51.*

הציל *(quò) eripuit vel eripuerat*: præteritum